n.° 103.

Anonyme

Clarissimi, Doctissimi Habilissimi, nec non Experientissimi,
Domini ad Academiam Chirurgicam Christianissimi ac
Potentissimi Regis Galliæ, optime ordinati ac electi
Domini, Præses Director et reliqui Domini
Assessores!
Honoratissimi Domini ac Fautores!

Vita brevis Ars longa!

Admodum concinne ait Hipocrates, dum fragilitatem et fugacitatem vitæ humanæ, difficultatem autem artis Apollineæ consideraverat, quodque jure meritoque de arte Chirurgica dici potest, quæ ad fragile illud corpus humanum conservandum, tam utilis quam omnimodo necessaria est. Sane nunquam satis laudari queunt Potentissimi ac Christianissimi Reges Galliæ, utpote secundum quorum ordinationes et mandata talia facta sunt instituta tam saluberrima quam sapientia, ut ars illa Chirurgica de die in diem crescere, et ad summam perfectionem quasi pervenire jam diu cœperit, et quis ignorat? quantum commodum Collegia illa Galliæ jam dum procuraverint! ut illa etiam Excellentissimis et habilissimis Magistris huius artis ostentare potuerit. Magno tamen cum animi luctu dolendum est, quod hæc ars per plurimos tam ineptos quam inertes nominetenus Chirurgos eximium naufragium honoris perpessa sit. Vos autem VIRI Clarissimi Doctissimi et Experientissimi estis, per quorum diligentiam et sedulitatem aurea secula hujus artis sperare possumus; pergite itaque sub auspicio Divini Numinis (: quod et Vobis assistere et per plurimos annos sanos et sospites conservare velit:) officia vestra uti bene cœpta, ita feliciter ad summum fastigium producere.

Nunc ad rem, scilicet ad quæstiones à vobis in lucem editas, progredior et sequenti modo evidense meum judicium, pace vestra celare nolui: Nullos autem Authores, aut annotationes, et observationes ex praxi annotates brevitatis gratiâ citabo, pro fundamento enim leges artis, cum experientia et sana ratione pono, etiam atque etiam rogans ut æqui bonique consulere velitis, et imposterum occasiones mihi præbere haud gravemini, quo plurimis, potius autem reipsa quam verbis monstrare possim quam maxime vobis ad officia et servitia me obligatum habeam.

Causas itaqs proprias, cur nonnulli tumores extirpandi sint sequentes adduco

A. Quia certa species tumorum in propria sua tunica (membrana) vel vesicula jacet, uti omnes tumores tunicati, vel qui per materiam acidam et acrem glandulas corrosas ac corruptos pro fundamento habent v:g: carcinomata, et omnia ulcera glandulosa vetera, vel cariem ossis, similiter omnes excrescentiæ carnosæ, ganglion quod in propria tunica sua est involutum, sphacelus fistulæ et ulcera sinuosa, hi et omnes illi tumores hujus generis nunquam sine radicali extirpatione curari queant, quia si non funditus eradicantur, membrana vel vesicula extirpetur, neqs ullam plenariam curationem admittunt, (: quia communiter vel ab extenso vel lacerato vase lymphatico aut sanguifero, ortum ducant vel proxime tali vasi adjacent et hinc nutriuntur :) oportet itaqs necessario è fundamento extirpari alias nunquam perfecte curantur, et licet superficies talis ulceris consolidetur et claudetur parum juvabit, dum de novo suppurare incipit, donec radicalis extirpatio vesiculæ vel glandularum corruptarum facta sit. hoc modo etiam se habet cum ulcere quod cariem ossis pro fundamento habet, nunquam sine exfoliatione ossis corrupti curatur. Plurimis Authoribus et observationibus à me ex praxi observatis id quod scripsi comprobare possem, nisi brevitatis gratiâ, et quia in discursu praeliminari promissus sum nullos nec Authores nec exempla citare hisce itaqs rivos claudo et ad

Secundam progredior quæstionem

Cur alii tumores simpliciter per incisionem aperti curantur?

Hi sunt me judice omnia ulcera benigna, quæ bonam ac benignam materiam purulentam satis coctam in se includunt, si talis tumor per simplicem incisionem apertus est (quia materia inclusa nullam reliquit corruptionem) abscessus ille evacuatus se consolidat ac levi emplastro curatur.

Tertio In quo casu Cauterium, instrumento scindenti sit praeferendum?

Primo distinguendum occurrit (quia in programmate generaliter de cauterio dicitur) inter cauterium actuale et potentiale, magna enim inest differentia, cauterium actuale nimirum ex elemento puro, simplici, et immixto constat quod vires suas in locum applicatum sine omni damno ac periculo exercet, si debito modo tractatur, potentiale vero latius se extendit, partes adjacentes attingit et afficit, cum dubius caute procedendum est, ne nervi, tendines ac ligamenta cum cauterio officiantur et offendantur, sunt itaqs causæ quæ cauterium praecultro, postulant, bene ac provide examinandæ et distinguendæ;

Cauterium enim solum modo in tumores frigidos ac humidos applicari debet ex sequentibus causis

1. Nam cauterium calefacit, frigidam complexionem membri rectificat.
2. resistit cauterium corruptioni ac putredini membri
3. humores venenatos ac damnosos cauterium resolvit, exsiccat, et absorbet
4. corruptionem ac putredinem jam factam cauterium exstirpat v: g: in sphacelo cancro et carie ossium,
5. vulnus per cauterium factum fit longius ac latius, et non tam cito quam aliud cum cultro factum sanatur, medicamenta etiam commode in locum affectum applicari queunt, obstatis amplam incisionem per cauterium factam
6. cicatrix à cauterio relicta multo minor evadit prae alia cum cultro facta.
7. profusiones sanguinis atroces ope cauterii sistuntur, in contrarium autem agit instrumentum secans, quod quidem vasa majora secando aperit, non autem claudere valet, cauterium vero causat eschoram et ope illius vasa claudit
8. Cauterium exsiccat catarrhos inveteratos, quos etiam dissipat, lippitudinem pertinacem curat, uti videre est si in his affectibus debito modo et ordine applicatur catarrhi illi cessant.
9. omnes excrescentiae carnosae, verrucae, clavi pedum cauterio citius eradicantur nisi adhaereant nervo aut tendini, aut ortum hinc inde ducant,
10. Cauterium generaliter calefacit, humores heterogeneos et malignos, exsiccat affluxum impedit, membro tonum reddit ac roborat

Quarto

In quibus causis instrumentum secans Cauterio sit praeferendum?

R. 1. In omnibus tumoribus calidis, siccis, ac inflammatis, (quia per cauterium humores magis exsiccantur) instrumentum secans magis convenit,
2. ubi nervi tendines et ligamenta proxime ad= vel sub= jacent, nam si hae partes praescriptae, cauterio affliguntur, saltationes musculorum, motus spasmodici, et dolores intolerabiles oriri solent
3. in omnibus tumoribus benignis qui modo apertioni indigent.

Ex his causis praedictis instrumentum secans, cauterio praeferendum est, quia leniter secat sine irritatione ac contusione. Observandum vero semper occurrit ut incisio secundum cursum fibrarum instituatur, tendinibus nervis, et ligamentis, quantum possibile parcendum est nisi chirurgus sibimet cum aegroto graviora symptomata tam per improvidam incisionem quam cauterium attrahere velit.

Apposui itaque brevissimis verbis rationes meas chirurgicas, ad quaestiones, quae à Celeberrimo Collegio Academiae Chirurgicae in lucem editae sunt, quibus Author ad perennem benevolam memoriam et favorem debito ordine se commendat.

reçu le 3 fevr 1733